

minimeq; sequatur, si Deus totum mundum ita dilexerit, etiam totum propterea elegisse ad salutem.

Hic enim locum habent illa Servatoris dicta, *Joh. 15. v. 19. c. 13. v. 18. Matth. 22. v. 14.* Nam electio distinguit primum filios Dei, quos per gratiam suam salute donat, à reliquo mundo, qui sua peccatâ in incredulitate suâ manet. Hoc *Samuel Huberus Bernus* non animadvertisse videri possit, cui *Theologi VVitebergenses* olim objecere, quòd universalem *Φιλανθρωπίαν* Dei cum particulari electionis decreto perperam confuderit. Quod *constanti confessione sua Ann. 1595. Ursellis edita calumniam interpretatur & tanquã à sententia sua alienum rejicit.*

VII. *Modus gratiæ miserationis consistit in illius amplitudine ac determinatione.*

VIII. *Amplitudo ejus posita est in dono, in postulato & in promisso.*

IX. *Primum dono superabundans Dei erga nos dilectio manifesta fit.*

Nam non dilexit nos propter meritum aliquod nostrum, quòd ipsi priores aliquid dederimus, quod nobis retribuere, *Rom. 11. v. 35.* aut quòd eum dilexerim priores, *1. Job. 4. v. 10. 19.* sed multò magis quòd cùm meram iram & indignationem, commeriti eramus, & quod in principio ab ipso acceperamus, nempe imaginem ipsius, quantum in nobis erat, perdideramus; imò & illud, quod ipsi

ipsi